

rosi prosapia , sagaces eruditione , ingenio præcipui,
virtute splendidi (nondum enim puerilis ineptientis
iuuentæ error, veras ac publicas proficiendi rationes,
damnauerat) atque in Thucydide, Tacito , Suetonio,
Sallustio , aliis, non gestorum modo scriptionem, sed
scribendi vias , artes, institutum , tanquam ex altero
Thucydide, ex altero Sallustio accipiebant. Ita est,
Auditores, vt penetrantur tam exacti operis arcana,
opus est simili ingenio: & licet dispar gloria scripto-
rem sequatur ac interpretem, merito tamen & arte ci-
tra dubium comparari si non æquari possunt. Hic, si
quid eruditio , arte; prudentia , vsu; oratio , cultu;
sententia, inuento recondiderat: exprompta, explana-
ta omnia. Si quid in antiquitate rarum ; in cognitio-
ne , arduum ; in historia, vtile : ita euoluebantur, vt
eadem opera & ad doctrinæ præstantiam , & ad actus
dexteritatem non selecta modo, sed præparata; non ex-
posita , sed ostensa ; non admota , sed applicata videren-
tur. Nihil exiit ex ore eius, quod obtunderet audito-
rem; multo minus, quod falleret. Professorium mini-
me arbitrabatur, linguae quicquam ad ostentationem,
quicquam ad negligentiam & volubilitatem indulge-
re. equidem nisi plus viris approbari, quam adolescenti-
bus possint, quæ adolescentibus proponuntur; nisi
semper & cum augmento fructus placere queant,

quæ